



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

87. Quamvis Indulgentiæ &c. Decretum quo Summarium Indulgentiarum
Regularibus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum,
nonnullas continens Indulgentias ad quæstum damnatur, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

1714.

super illis integrè per eosdem Christifideles, per se ipsos, aut cum socio, vel familiari, qui eandem Indulgentiam consequatur, dicto, vel recitato septem annos, & totidem quadragenas.

Sanctissimus Dominus Noster Clemens XI. Pontifex Maximus in suo Brevis, quod incipit: *De salute Gregis Domini*: Dato 22. Septembris 1714. concedit omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus confessis, & sacra Communione refectis, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione orantibus, qui quotidie per integrum annum Coronam S. Brigittæ, dummodo sit saltem quinque decadum, recitaverint, semel in anno die per unumquemque Christifidelem eligenda plenariam Indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eandem plenariam Indulgentiam applicandi animabus in Purgatorio exsistentibus.

Ad lucrandum huiusmodi Indulgentias requiritur, ut Coronæ à PP. Superioribus Monasteriorum, seu ab aliis Religiosis Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu S. Brigittæ ad id specialiter deputatis benedicantur.

DECRETUM.

S. Congregatio Indulgentiis, & S. Reliquiis præposita die 26. Novembris 1714. censuit permitti posse impressionem præsentis Summarii Indulgentiarum concessarum Coronis, quas vocant, S. Brigittæ, addita declaratione, quod omnes aliæ Indulgentiæ, quæ in præsentis Summario expressè non continentur, sunt aut Apochryphæ, aut nullæ, aut à Sanctissimo Domino Nostro Clemente XI. revocatæ per suprascriptum Breve datum die 22. Septembris 1714.

Prohibet insuper eadem Sacra Congregatio, ne huiusmodi Coronæ vendantur, aut alteri commodentur, & si fecus fiat, declarat suprascriptas Indulgentias cessare, & nullius esse roboris, vel momenti. Datum die 4. Decembris 1714.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

DECRETUM.

VII.

Quo Summarius Indulgentiarum Regularibus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nonnullas continens Indulgentias ad quæstum damnatur, & prohibetur.

Quamvis Indulgentiæ omnes pro porrigentibus manus adiutrices non semel ab Apostolica Sede, signanter verò à S. Pio V. *Constit. 30.* quæ incipit; *Et si Domini Gregis dat. 6. Idus Februarii anno 1567.* revocatæ fuerint, Quæstoresq; damnati, nonnulli tamen interdum docentes ea, quæ non oportet, Indulgentias ad quæstum evulgare præsumunt. Quapropter Sacra Congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita huic malo occurrere cupiens, Summarius quoddam, cui titulus: *Breve Sommario delle principali grazie, & Indulgenze concesse alli Religiosi dell'Ordine Santissima Trinità della Redenzione degli Schiavi, delle quali godono tutti quelli, che portano il Scapulario, o vero Abitino, & visiteranno le Chiese, o Cappelle di dett'Ordine &c.* impressum Neapoli apud Hiacynthum Pittante anno 1703., ubi nonnullæ Indulgentiæ ad quæstum continentur, die 28. Januarii labentis anni 1716. sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis damnandum censuit infimul declarando, Confraternitates à Superio-

Bullarium Romanum Continuatio Pars II.

1716.

ribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum institutas, nullis aliis Indulgentiis gaudere, nisi illis, quæ expressè continentur in earum Summario, alias, nempe die 31. Januarii ani 1675, ad eadem Sac. Congregatione recognito, atque approbato, & deinde Romæ Typis R. C. Apostolicæ impresso anno 1682. Quibus Sanctissimo Domino Nostro per me Secretarium relatis, Sanctitas Sua Sententiam Sac. Congregationis probavit, & executioni mandari iussit. Datum die 11. Martii 1716.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

Die, mensa, & anno quibus supra suprascriptum Decretum affectum, & publicatum fuit ad vasa Curie Innocentiana, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Jo. Baptistam de Cappellis SS. D. N. PP. Curforem.

Bartholomæus de Camillis Mag. Curs.

DECRETUM.

Quo declaratur necessariam esse delationem Scapularii ad lucrandas Indulgentias concessas Sodalibus Confraternitatum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

VIII.

IN Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita habita die 28. Aprilis labentis anni 1716. relatis precibus P. Joannis à S. Francisco Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ humiliter postulantis declarari, an Sodales Confraternitatum sui Ordinis loco Scapularii, quod plerique gestare solent, exiguum panni albi frustulum, cui parvula Crux rubri, & cærulei coloris acu intexta est, vesti assutum deferentes, lucrari valeant Indulgentias concessas iis, qui Scapularium deferunt. Eminentissimi Patres declararunt, non lucrari. Datum die 29. Aprilis 1716.

L. Cardinalis Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

DECRETUM.

Quo declaratur Indulgentiam pro feriis sextis mensis Martii dari solitam comprehendere sub clausula. *Volamus autem &c.* quæ in Brevibus Apostolicis apponi consuevit.

IX.

NE contra veterem, & probatam in Ecclesiâ consuetudinem, Indulgentiarum numero nimis aucto, Ecclesiastica disciplina enervetur, sæpius in Brevibus apponi consuevit clausula illa: *Volamus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsedam duratura concessa fuerit, presentes literæ nulla sint: Cum autem alias pro ejusdem clausulæ explicatione supplicatum fuerit, Sacra Congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita declaravit, ea nullatenus comprehendere Altitaria privilegiata pro Defunctis,*

P p

neque